

cit. cap. x, n. 77, et n. 129, allegans plures alios. Facta tamen per capitulum protestatione de non admittendis inhabilibus ad electionem, si postea quis vocalium convincatur, et per sententiam iudicis declaretur ipso jure fuisse inhabilis ad eligendum, tunc isthæc sententia retrotrahitur: et quamvis electio facta a toto capitulo post talem protestationem non videtur, ubi electus aliunde habuit vota sufficientia; tamen constiterit, vel dubium sit, quod electus acquisierit vota majora vi suffragii dati per talem inhabilem, contra quem antea protestabatur, electio erit cassanda. Passerinus, cit. cap. x, n. 79 et 96, cum aliis, quos citat.

172. IV. Irregulares. — IV. Prohibentur eligere irregulares, c. *Is qui*. § fin. et ibi Ancharanus. de *Sentent. excomm.* in 6; Sylvester y. *Electio*. I. § 4; Angelus, cit. n. 8; Barbosa, lib. I *Jur. Eccles. univ.*, cap. x, nu. 65, citans alios. Requiritur tamen de facto, ut et isti sint denunciati, aut per exceptionem repellantur. Pirhing, cit. num. 31; Passerinus, ubi supra, num. 106. Imo non desunt contrarium tenentes, videlicet quod irregulares non sint privati voce activa; ut vult Suarez, disp. 40, de *Censuris*. sect. 2, num. 27; Filiucius, Bonacina, et nonnulli alii; qui proinde cit. c. *Is qui*. cæteroquin satis urgens, conantur explicare de sola intelligibilitate, seu privatione vocis passivæ.

173. V. Infames infamia juris. — V. Eligere non possunt infames infamia juris. Glossa c. *Ut circa*. 4, vers. *Eligentium*. h. t. in 6; Suarez, de *Censuris*, disp. 48, sect. 3, n. 2, et alii. Siquidem infamibus prohibiti sunt actus legitimi, arg. c. *Infamibus*, de *Reg. jur.* in 6, et l. *Actus*. ff. eod. Atqui eligere, est actus legitimus, c. *Solet*. 2, § fin. de *Sent. excomm.* in 6. Verum istud procedit dumtaxat de infami sententiato, sive declarato; ut notat Hyacinth. Donatus in *Praxi rerum regular.* part. V, tract. V, qu. 20, n. 3; Passerinus, cit. cap. x, n. 143.

174. VI. Qui non sunt clerici, nec religiosi, sed laici. — VI. Eligere non possunt quoad prælaturas, et dignitates ecclesiasticas, qui non sunt clerici, vel religiosi. Siquidem laici sæculares nullo modo eligere possunt; ut can. *Nullus*. dist. 63, et c. *Sacrosancta*. 51, de *Elect.* Adeo quidem, quod electio episcopi per laicos etiam cum canonicis facta, non valeat; haud obstante consuetudine contraria, quæ dici debet potius corruptela, text. clar. c. *Massana*. 56, h. t.

175. *Solvitur instantia ex c. Quærelam, h. t.* — Nec obstat c. *Querelam*. 24, h. t. ubi dicitur, quod ad populum de antiqua consuetudine pertinuerit electio, et quod is elegerit presbyterum ad quamdam ecclesiam. Resp. enim verbum *Electio* ibi accipi latissime, prout etiam comprehendit sub se præsentationem: nam, ut liquet ex contextu, ibi agitur de jure patronatus, cujus laici de benignitate Sedis apostolicæ sunt capaces; unde subditur: « Populus in quasi possessione præsentandi clericum existebat, quando ipsum presbyterum ad illam elegit. » Et infra: « Salva quæstione super jure patronatus. »

176. VII. Qui non sunt presentes capitulariter. — VII. Eligere nequeunt, qui non sunt presentes capitulariter in loco, ubi fit electio. Quia non possunt singuli vocales divisum, ac in suis domibus existentes, votum suum dare, sed debent esse collegialiter congregati, arg. c. *Quia propter*. 42, h. t. ibi: « Præsentibus omnibus, » et concordant dicta superius § 5, nu. 143. Et hoc adeo verum est, ut canonicus legitime absens (quamvis nullus de capitulo velit esse procurator ipsius) non possit votum suum dare per literas, text. clar. c. *Si quis justo*. § fin. h. t. in 6. An autem absens possit dare votum per procuratorem, et quid agendum sit circa capitulares infirmos § seq. dicitur.

177. VIII. Vel non constituti in ordine sacro. — VIII. Prohibentur eligere in Ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis, vocemque in capitulo non habent, etiamsi hoc sibi ab aliis libere concedatur, qui necdum in ordine sacro, saltem subdiaconatus, sunt constituti. Patet hoc ex Clem. *Ut ii qui*. 2, de *Ætat. et qualitat. præficiend.* estque renovatum in concil. Trident. sess. 22, cap. iv, de *Reformat.*

178. *Et quid de regularibus.* — Imo id ipsum in cit. Clem. 2, extenditur ad ecclesias regulares quoad mancipatos divinis officiis: secus dicendum quoad laicos, seu conversos, ac etiam quoad moniales, ut ibidem notat Glossa vers. *Mancipati*; itemque quoad ordines militares: nam Clementina illa loquitur de regularibus, qui divinis officiis sunt mancipati, seu ad celebranda divina mysteria deputati. Imo, cum concilium Trident. loc. cit. nullam de regularibus mentionem faciat, simulque sacra congregatio concilii sub data 22 maii 1577, declaraverit, dictum decretum Tridentinum non loqui de Ecclesiis regularium: dicendum est, circa

hoc servandas esse cujuslibet ordinis laudabiles consuetudines, et statuta particularia; uti communiter tenent doctores, quos sequitur Passerinus, cit. cap. x, de *Elect.* n. 54.

179. IX. *Item privati voce activa.* — IX. Tandem generaliter loquendo prohibentur eligere, qui sunt privati voce activa; prout pro una vice privantur scienter eligentes indignum, c. *Cum in cunctis*. 7, et c. *Innotuit*. 20, h. t. cum similibus. Sicut et illi, qui per abusum potestatis sæcularis elegerunt, præter suspensionem ab officiis, et beneficiis ad triennium ipsis infligendam, ipso jure privati sunt potestate eligendi, c. *Quisquis*. 43, h. t. juncta Glossa, et doctores ibid.

180. *Alii casus. Remissive.* — Tacentur alii casus, tum ex diversis constitutionibus apostolicis, tum ex statutis particularibus locorum, aut ordinum religiosorum desumendi. Adde etiam rationabiles consuetudines locorum: nam, sicut per has potest acquiri jus eligendi, ita et vicissim potest quis per ipsas a tali jure excludi, sicque privati voce activa; idque per vulgata principia juris, ut cap. ult. de *Consuetud.* cum concordantiis.

§ VIII.

DE PROCURATORIBUS IN ELECTIONIS NEGOTIO CONSTITUENDIS, AC DE VOCALIBUS INFIRMIS, VEL SE ABSENTANTIBUS.

181. *Procurator in electionis negotio constituitur, nisi concurrant certæ conditiones.* — Queritur I. An in electionis negotio possit constitui procurator? Resp. I. id regulariter fieri non posse, nisi concurrant certæ conditiones. Ita habetur in c. *Quia propter*. 42, § *Illud autem*. h. t. sequentibus verbis: « Illud autem penitus interdiximus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, justoque impedimento detentus venire non possit: super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento: et tunc, si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam. » Hæc ibi. Concordat c. *Si quis justo*. 46, eod. in 6, quod veluti longius hic non allegatur.

182. *Nempe, ut sit absens a loco electionis.* — Resp. II. Conditiones ad hoc requisitæ, ut quis per procuratorem possit eligere, seu dare votum suum sunt sequentes. I. Ut, qui procuratorem constituit, sit absens a loco electionis: ita videlicet ut scrutatores non possint, vel saltem juxta laudabilem cujus-

libet collegii consuetudinem, non teneantur ipsum personaliter accedere pro recipiendo suffragio. Debet autem esse absens, non quomodocumque, sed in tali loco constitutus, ex quo possit ac debeat vocari: unde si extra talem districtum (attenta præcipue cujuslibet loci consuetudine mensurandum, arg. c. *In Genesi*. 55, h. t.) sit constitutus, non habet jus constituendi procuratorem; prout desumitur ex cit. § *Illud autem*. ibi: « Nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, » Glossa c. *Si quis justo*. vers. *Detentus*. h. t. in 6. Barbosa, lib. I. *Jur. ecclesiast. univers.* cap. xix, n. 108; Passerinus, cap. x, de *Elect.*, 35 et alii.

183. *Simulque justo impedimento detentus.* — II. Conditio, ad constituendum procuratorem in negotio electionis necessaria, est: Ut absens vocalis sit justo impedimento detentus, quominus venire possit; prout liquet ex allegatis verbis cit. § *Illud autem*. Hujusmodi autem justum impedimentum, ut explicat Glossa ibid. vers. *Venire*, et Barbosa, cit. cap. xix, num. 109, cum aliis, censetur esse gravis infirmitas, timor accedendi locum electionis ob capitales inimicitias, vel insidias sibi paratas, detentio in aliquo castro, unde exire non possit, aut vocalio ad majus tribunal, et hujusmodi, dummodo impedimentum exprimat, quale sit.

184. *Et, si opus fuerit, super hoc fidem faciat juramento.* — III. Conditio est: Ut constituens procuratorem super tali impedimento, si opus fuerit, fidem faciat juramento; prout liquet ex verbis jam allegatis § *Illud autem*. Porro juramentum istud vel poterit præstare ipsemet vocalis absens, atque in instrumento procuræ de hoc constare faciens; vel ejus procurator, dummodo habeat ad hoc speciale mandatum. Et hoc posterius erit magis cautum, eo quod capitulum, si velit v. g. quia aliunde jam habet notitiam legitimi impedimenti, possit remittere tale juramentum, et sic istud non erit necessario præstandum: tum quia textus in cit. § *Illud autem*. sub conditione loquitur, dicens: « Super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento; » tum quia hujusmodi dispositio emanavit in favorem aliorum capitularium, unde possunt isti suo favori renuntiare. Barbosa loc. cit. n. 110, et alii.

185. *An sit necesse, ut in procuratorem eligatur unus de capitulo?* — Præter hæc tres conditiones, quæ spectato jure communi requiruntur ad constituendum procuratorem

in negotio electionis, ut tenuit Rota in Calaguritana beneficii de Morillo, 13 novemb. 1620, coram Ubaldo Rague. quem refert Barbosa ad c. *Quia propter*. n. 37, h. t. Posset addi. IV. conditio: videlicet, ut in procuratorem eligatur unus de collegio, juxta allegata verba cit. §. *Illud autem*. ibi: « Et tunc, si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam. » Verum, quia circa hæc verba concilii generalis plures successive fuerunt exortæ controversiæ, ad quarum resolutionem postmodum emanavit Decretalis, *Si quis justo*. 46, h. t. in 6, hæc conditio non nisi conformiter huic Decretali erit intelligenda: unde

186. *Potest capitularis absens non tantum unum, sed etiam plures procuratores constituere.* — Quæritur II. Utrum in electionis negotio unus dumtaxat procurator, et quidem de ipsomet collegio, constitui possit, atque admitti debeat? Resp. I. Capitularis ex justo impedimento absens, potest non tantummodo unum, sed etiam plures procuratores ad actum electionis constituere: ita tamen, ut cuilibet eorum potestatem eligendi det « in solidum. » Ita habetur decisum in cit. c. *Si quis justo*. 3, h. t. in 6. Et per hoc, quod quilibet talium procuratorum habeat potestatem eligendi « in solidum » (hoc est, quod unus sine altero possit eligere) partim salvatur mens concilii generalis, volentis, quod absens « uni committat vicem suam: » partim consulitur vocalibus absentibus, ut hi, si forsitan procurator primo constitutus nollet in se recipere procuracionem, illico haberent alium jam constitutum, qui vices suas in solidum exequeretur.

187. *Dummodo cuilibet eorum potestatem eligendi det in solidum.* — Notanter tamen additur, « ita ut cuilibet eorum potestatem eligendi det in solidum. » Nam alioquin plures illi procuratores simpliciter constituti, possent inter se discordare, atque diversas personas eligere; sicque res non haberet exitum, et quod ab eis hoc casu fieret, non valeret. Unde, si nullus ipsorum fuerit deputatus « in solidum, » ad evitandum istud inconveniens etiam nullus eorum admitti debet, ut eligat; sed sibi imputet is, qui eos sic indiscrete constituit, prout subjungitur in cit. c. *Si quis justo*, h. t. in 6.

188. *Et cujus votum tunc valeat?* — Resp. II. Quando plures ad eligendum procuratores fuerunt constituti « in solidum, » tunc melior erit conditio occupantis, ejusque vo-

tum valebit; prout in simili notatur c. *Non injuste*, 14, de *Procuratorib.* Quod si autem ambo concurrant in simul, ita ut non appareat quis primo præoccupaverit, postulentque se admitti, tunc ipsi non debent audiri; sed is solum admittitur, quem vel major pars capituli elegerit; vel, si in hoc capitulares concordare nequeant, qui primo in litteris procuracionis est expressus. Ita rursus habetur decisum in d. c. *Si quis justo*, h. t. in 6.

189. *Potest constitui procurator tam unus de collegio, quam extraneus: sed hic non necessario admittitur.* — Resp. III. Potest constitui procurator ad eligendum, non solum de collegio, sed etiam extraneus: ita tamen, ut si is sit de gremio collegii, teneatur eum admittere capitulum, arg. cit. c. *Quia propter*. §. *Illud autem*, juncta Glossa vers. *Venire*. h. t. Secus autem, si is sit extraneus: nam si capitulum velit, poterit quidem hunc acceptare, non tamen tenetur extraneum admittere. Ita desumitur ex c. *Si quis justo*, 56, §. *Absens*. h. t. in 6, et amplius explicat Glossa ibid. vers. *Nolente capitulo*. Abbas c. *Quia propter*. §. *Illud*, n. 2, h. t. et alii. Ratio est, quia licet in cit. §. *Illud autem*, dicatur, quod procurator « sit unus de ipso collegio, » sicque hoc invito extraneus constitui non possit; nihilominus constitutio illa emanavit in favorem capituli. Unde si istud vult cedere favori suo, atque procuratorem extraneum ad coeligendum admittere, rite is admittitur; cum possit extraneus etiam sine tali mandato ad eligendum admitti, ut c. *Scriptum est*, 40, h. t. et c. *Cum Ecclesia*, 3, de *Caus. possess.*

190. *An possit procurator de collegio alium nomine suo, et alium nomine mittentis eligere?* — Resp. IV. Quando procurator e collegio est simpliciter constitutus ad eligendum, non potest is alium nomine suo, et alium nomine mittentis eligere; nisi habeat speciale mandatum de certa persona eligenda. Ita expresse habetur decisum in cit. c. *Si quis justo*, §. *Porro*, h. t. in 6. Ratio primæ partis est: quia, ut bene discurrit Glossa ibid. vers. *Nihil agit*, procurator taliter constitutus, sicut tenetur meliorem eligere suo nomine, ita etiam nomine mittentis; et alioquin incerta videntur hæc vota, sicque non valent, ut hic dicitur. Concordat cap. II, eod. in 6, ubi in electionibus vota conditionalia, alternativa, et incerta penitus reprobandantur. Ratio posterioris partis est: quia, quando datur speciale mandatum de certa

persona eligenda, tunc potius is eligit, qui mandavit: nec tamen is suo mandato potest alterius libertati præjudicare, quominus eligat aliam personam, si hanc digniorem, atque Ecclesiæ utiliorem judicaverit.

191. *Vota infirmorum etiam sunt exquirenda.*

— Quæritur III. Quid juris de infirmis, qui in monasterio, in quo electio peragitur, vel saltem in civitate existunt, locum tamen electionis ob infirmitatem accedere nequeunt? Resp. I. Etiam talium infirmorum vota sunt inquirenda. Ita Innocentius in c. *Quia propter*. n. 2. h. t.; Angelus, vers. *Electio*. n. 17; Barbosa, lib. I *Jur. Eccles. univ.*, cap. XIX, n. 108. Pirhing h. t. n. 146, et alii. Ratio est: quia vota omnium præsentium sunt inquirenda: atqui tales censentur præsentibus; nam, ut L. 5 et 6, ff. de *Procuratorib.* dicitur: « Præsens habetur, et qui in hortis est, et qui in foro, et qui in urbe, et qui in continentibus ædificiis; » ergo.

192. *Et quomodo hi votum suum dare possint?*

— Resp. II. Ejusmodi infirmus, qui ob infirmitatem personaliter electioni interesse nequit, ac proinde suo modo ob legitimum impedimentum abesse dignoscitur, potest aut procuratorem constituere, qui suo loco eligat (quod intellige conformiter proxime dictis, ut possit eum vel simpliciter constituere ad eligendum, vel cum speciali mandato de certa persona eligenda,) aut, si malit, per semetipsum dare votum suum: atque in hoc posteriori casu debent scrutatores ad ipsum accedere, et suffragium ipsius recipere. Ita citati auctores cum aliis. Ratio est: quia scrutatores debent inquirere vota omnium præsentium: atqui talis etiam censetur præsens, ut dictum; ergo.

193. *In praxi oportet observare speciales consuetudines, aut constitutiones cujuslibet capituli.* — In praxi tamen circa hoc observandas esse speciales consuetudines, vel proprias constitutiones cujuslibet capituli, seu conventus, recte notat Passerinus cap. X, de *Election.* n. 32. Nam loquendo præsertim de regularibus, satis durum videtur, quod scrutatores congregato capitulo, et cæteris expectantibus, teneantur per civitatem, aut hortos diutius discurrere ad inquirendum votum infirmi. Insuper in Ordine Fratrum Minorum per statuta generalia cap. VIII, § 3, n. 20 expresse cavetur, « quod absentium vota suppleri non possint, nec alicui suum votum committere; aut per procuratorem suffragari in capitulis, vel congregationibus licet. »

194. *Nequeunt infirmi, aut alii legitime absentes, votum suum mittere in scriptis.* — Resp. III. Infirmi, aut alii vocales legitime absentes, non possunt votum suum pro electione mittere in scriptis. Ita decisum habetur in sæpe dicto c. *Si quis justo*. §. fin. h. t. in 6, ubi hoc statuitur etiam pro eo casu, quando canonicus absens nullum de collegio reperire potest, qui in negotio electionis velit esse suus procurator, simulque capitulum nolit admittere extraneum: adhuc enim canonicus ille nequit votum suum dare per litteras. Siquidem juxta formam a concilio generali in c. *Quia propter*. h. t. præscriptam, votum in ipso scrutinio, secrete ac singillatim est exprimendum; et consequenter non per litteras.

195. *Aliud est constituere procuratorem; aliud dare votum in scriptis, et cur?* — Nec obstat, quod absens possit constituere procuratorem etiam cum mandato de eligenda certa persona. Resp. enim cum Glossa fin. ibid. et aliis, aliud esse dare votum suum in scriptis; aliud, constituere procuratorem de dando voto certæ personæ. Ille enim dat votum suum multo ante scrutinium; et potest contingere, quod is ante scrutinium jam fuerit mortuus, quo in casu palam apparet, quod votum non det in scrutinio secrete ac singillatim, sed jam antea dederit, contra formam dicti concilii generalis. Econtra vero dans mandatum suo procuratori de eligenda tali certa persona nondum eligit (nam si ille interim moriatur, vel mandatum sui principalis non exequatur, votum ipsius non computabitur), sed procurator ejus nomine, atque in ipsomet scrutinio, secrete ac singillatim personam illam nominatam eligit; quod est conforme dicto concilio generali. Declaratur hoc a simili: sic quippe aliud est, contrahere matrimonium carnale; aliud, dare suo procuratori speciale mandatum de eo contrahendo cum certa persona: iste enim mandando nondum contrahit matrimonium (imo potest adhuc pœnitere, ac revocare mandatum, donec ab alio contractum fuerit matrimonium, cap. ult. de *Procurat.* in 6), sed ipsemet procurator illud primum contrahit nomine sui principalis, atque ex ejus mandato nondum revocato: idem ergo dicendum in simili de electione, per quam initiatur conjugium spirituale inter electum, ac Ecclesiam suam.

196. *Examinatur sententia asserentium posse aliquando dari votum in scriptis.* — Fatendum

quidem est, quod Layman, in dicto c. *Si quis justo*, 46, h. t. in 6, et post ipsum Pirhing, h. t. n. 151, doceant, in electionibus regularium, in quibus forma scrutinii exacte non servatur, sed schedulæ obsignatæ in urnam conjiciuntur, nihil abstinere, quin suffragium ita scriptum ab obsente, vel infirmitate detento, mitti possit ad capitulum. Verum hæc sententia non caret difficultate, atque oppositum ejus merito tenet Fagnanus, in c. *Quia propter*, §. *Illud autem*, n. 3, et seqq. h. t. ubi a sacra Congregatione sæpius ita decisum fuisse refert. Accedit, quod tale votum non amplius foret secretum, juxta decretum concilii Trid. sess. 23, cap. vi, de *Regularibus*, præsertim si schedula illa prius ab eis legi posset. Imo nec istud caret periculo, cum procurator, qui portat schedulam obsignatam, possit illam occultare, et loco ejus aliam bene visam ponere; prout olim sæpius factum esse dicebatur.

197. *Capitulares vocati, et electioni interesse nolentes, censentur se fecisse alienos.* — Quæritur IV. Quid juris, si electione debito tempore, ac loco instituta, aliqui vocales adesse nolint, vel inde egrediantur, aut schedulam vacuum mittant in urnam? Resp. I. Si congruo tempore, et loco, instituta electione adesse nolint, qui jus eligendi habent, censentur quasi non essent de capitulo, et tota eligendi potestas residet in aliis. Ita desumitur ex c. *Cum nobis*, 19, h. t. ubi capitulares vocati, et electioni interesse nolentes, vel a loco ipsius recedentes, alienos se fecisse dicuntur: ac notat Abbas, ibid. n. 3, et Layman n. 3, et alii. Concordat c. *Quod sicut* 28, eod. ubi absentia illorum vocalium, qui rite vocati, ad electionem celebrandam accedere nequiverunt, vel noluerunt, hanc minime impedit.

198. *Nec ordinarie compelli possunt, ut intersint electioni.* — Et hinc in c. *Quia propter*, 42, h. t. notanter dicitur electionem esse celebrandam « præsentibus omnibus, qui debent, et volunt interesse: » possunt enim, qui volunt, juri suo renunciare. Siquidem ordinarie loquendo nullus capitularium compelli potest, ut per se, vel per substitutum procuratorem, ad electionis tractatum veniat, juxta allegatum textum, « et volunt interesse. » Nisi forsitan ob speciales circumstantias Ecclesiæ necessitas, vel utilitas postulet, ut omnes intersint: vel nisi alicubi speciale statutum aut consuetudo id requirat. Layman cit. c. *Quia propter*, §. *Illud autem*, n. 2, h. t.

199. *Quid in Ordine Fratrum Minorum de diffinitore, qui non vult convenire in diffinitorio?* — Nihilominus in Ordine Fratrum Minorum, si diffinitor non legitime impeditus, et vocatus, sub aliquo prætextu noluerit convenire in diffinitorio, tunc suo est privatus officio; ut notat Angelus Lantusca in *Theatro regularium*, §. *Diffinitor provincie*, n. 3. Neque in tali casu debet fieri subrogatio alterius patris: quamvis cæteroque, si diffinitor aliquis moriatur, vel officium ejus quocumque modo vacaverit, debeat fieri subrogatio in persona patris dignioris; sicut et in absentia diffinitoris legitime impediti pater dignior substitui debet; Lantusca, ubi supra, §. *Subrogatio*, n. 4.

200. *Si cepto electionis tractatu aliqui vocales recedant, procedunt alii sine ipsis.* — Resp. II. Similiter, si cepto electionis tractatu aliqui vocales egrediantur, et redire nolint, possunt alii sine ipsis procedere; dummodo non major pars capitularium fuerit egressa. Ita clare desumitur ex cit. c. *Cum nobis*, h. t. ubi etiam tales sese « alienos fecisse » dicuntur, videlicet a capitulo, jureque eligendi. Idque vel maxime procedit, quando aliqui sine causa recesserunt, arg. c. *Bonæ memorie*, 23, ubi Glossa, §. *Metuebant*; Hostiensis et Butrius, de *Electione*; Compostella in c. *Statuimus*, eod. Accedit ratio: quia, « si defensio est inter canonicos, ibi dicitur esse capitulum, ubi est major pars, » ut inquit Glossa communiter recepta in c. *Cum inter canonicos*, 21, §. *Capituli*, h. t. atque desumitur ex cap. i. *De his, quæ fiunt a majori part. cap.*

Nec obstat, quod recedentes protestentur, et appellent. Siquidem recedendo faciunt se a capitulo, et jure votandi alienos cit. c. *A nobis*, h. t. Et paria sunt, non venire et non expectare finem, can. *Certum est*, ix, q. 3, et cap. i, de *Judiciis*. Unde vocales egredientes frustra protestabuntur, et appellabunt: et quia tanquam alieni, non amplius spectant ad electionem, possunt alii valide ad electionem procedere. Passerinus, cap. xi, de *Electione*, quæst. 11, n. 101; Card. de Luca, discurs. 27, de *Canonicis*, n. 9; Petrus a Baisio *Tractatum* tom. XV, in *Directorio electionum*, p. 3, cap. vi. Rota decis. 313, *Recent.* n. 13, part. XIX; Pirhing, h. t. n. 133, et seqq. et alii.

201. *Et idem dicendum, si remaneant quidem, sed votare nolint.* — Idemque dicendum, si qui vocalium remaneant quidem in capitulo, sed votare nolint. Glossa, in Clem. *Quod*

circa, vers. *Quæ in facto*, h. t.; Barbosa, lib. I, *Jur. Eccles. univ.*, cap. xix, n. 224, post Rotam, in *Cæsaraugustana Electionis*, 29 martii 1623, coram D. Coccino et alia Rota coram Merlino, decis. 591, n. 3, et in una Leodiensi, decis. 2082, n. 4; Ferosinus, de *Potestate capituli*, tract. III, q. 5, n. 15; card. de Luca, discurs. 53, de *Regularibus*, n. 8.

Atque hæc procedunt, etiamsi dies ad electionem præstituta non esset peremptoria: quia eo ipso, quod capitulum fuerit legitime congregatum pro habenda electione, et illam inchoaverit, fuit jus quæsitum remanentibus pro ea complenda. Hostiensis, c. *Cum nobis*, a num. 17, et Abbas, ibid., n. 10, h. t.; Romanus, consil. 332, n. 15 et 16; Ferosinus, de *Electione*, quæst. 3, n. 9; Rota, in *Recent.*, decis. 388, n. 13, part. 19.

202. *Dummodo non major pars vocalium egressa sit. Quod denuo est limitandum.* — Intelligence cum data, n. 200, conclusione, « dummodo non major pars capitularium fuerit egressa. » Quia, si major pars eorum discesserit, censetur velle dissolvere capitularem conventum; unde alii numero pauciores obtemperare debent, arg. cap. i, *De his quæ fiunt a major. part. capit.*, juncta Glossa proxime allegata, et tenet Abbas, in d. c. *Cum nobis*, n. 10, h. t. Quod tamen limita, dummodo non instet terminus ad electionem faciendam a jure præfixus: quia tunc posset procedere minor pars præsens, etiamsi remaneret unicuique, arg. can. ult. dist. 65. Neque enim is tenetur dimittere jus suum propter absentiam aliorum; simulque in termino momentur omnes a jure, ac dies pro homine censetur interpellare, c. *Potuit de Locato*, cum concordantiis. Abbas, cit. n. 10; Petrus de Baisio, ubi supra, cap. vi, c. 7. Idem erit, si consuetudo, vel statutum Ecclesiæ habeat, ut unus, v. g. decanus, vel senior, jus habeat decernendi diem electionis: nam tunc qui venire negligunt, vel temere recedunt, ob suam contumaciam perdunt jus eligendi, ac remanet hoc in solis remanentibus, etsi numero paucioribus. Innocentius, in d. c. *Cum nobis*, in 6, et Layman, ibid. n. 5; Pirhing, h. t., n. 137.

203. *Si schedula vacuo mittatur in urnam votorum ejus, nulla habetur ratio.* — Resp. III. Si quis vocalium schedulam vacuum, seu in qua nullius electi nomen habetur annotatum, miserit in communem votorum urnam, ejus nulla erit ratio habenda. Ita desumitur ex d. c. *Cum nobis*, 19, h. t., ac notat Glossa magna

in Clem., *Quod circa*, 6, h. t.; Navarrus, consil. 7, de *Electione*, 1; Rodericus, tom. II, quæst. *regular.*, quæst. 52, art. 13; Layman, loc. cit. n. 3, et alii. Ratio est: quia talis, qui dedit schedulam vacuum, censetur juri suo renuntiasse.

§ IX.

DE QUALITATIBUS ELIGENDORUM.

204. *Qualitates in eligendis requisitæ, generatim quæ?* — Quæritur I. Quæ qualitates generatim requirantur in eligendis, ac promovendis ad prælaturas, et beneficia ecclesiastica? Resp. I. Hujusmodi qualitates generatim sunt tres, videlicet, « ætatis maturitas, gravitas morum, et litterarum scientia. » Textus est in c. *Cum in cunctis*, 7, § 1, h. t. junctis, concordantiis ibidem relatis a Glossa: quæ licet addat alias duas qualitates, videlicet quod quis sit legitime natus, et constitutus in sacris ordinibus: nihilominus hæc duæ qualitates, sicut et cætera ex parte promovendorum requisita, commode reducuntur ad unam prædictarum trium generalium qualitatum, ac præsertim ad gravitatem morum, utpote quam valde deturpat defectus natalium, atque memoria paterni sceleris; et plurimum commendat dignitas sacrorum ordinum, juxta exigentiam cujuslibet officii, ac beneficii ecclesiastici rite susceptorum. Verum de illis loquendo in specie,

205. *Scientia triplex, eminens, mediocris, sufficiens, quæ?* — Quæritur II. Qualis litterarum scientia requiratur in eligendis ad prælaturas, beneficia, et officia ecclesiastica? Ubi præsupponendum est cum Innocentio in c. *Cum in cunctis*, n. 1, h. t., et Abbate, ibid. n. 4, ac Hostiensi, n. 15; Fagnano, n. 138, citante insuper Joan. Andr. Butr., et reliquos omnes, quod scientia possit triplex distingui, videlicet eminens, mediocris, ac sufficiens. « Scientia eminens » dicitur, per quam quis scit difficiles, ac subtiles quæstiones explicare et diffinire in promptu, absque revolutione librorum. « Scientia mediocris est, » per quam quæstiones difficiles resolvuntur, cum deliberatione tamen, et revolutione librorum. « Scientia sufficiens vocatur, » per quam quis sufficienter potest explere ea, quæ incumbunt officio suo. Et quidem hæc sufficientia debet considerari, atque examinari arbitrio discreti judicis, attendendo ad qualitatem loci, ubi iste habet vivere, et conversari, simulque ad qualitatem officii, et Ecclesiæ,